



Teol. 3995.

Arterński Raphaeli Casimiri: Quæstio Theologica  
de voluntate Dei.

Biblioteka Jagiellońska



stdr0000211

Adventus Regis de Sowmire Lys  
Adventus Regis de Sowmire Lys

Q

Ex

Pro

M.

Col  
reui  
fess  
ata

n

An

Typi

Cr

I. N. R. I.  
In Nomine Domini, Amen.

59927 m

# QUÆSTIO THEOLOGICA, De voluntate Dei.

Ex i. Sentent: Dist: 45. & ex i. p. q. 19. Doct: Angel.

## COLLECTA,

Pro licentia Doctoratūs in Sacra Theologia  
OBTINENDA,

PER  
M. RAPHAELEM CASIMIRVM  
ARTENSKI,

Collegam Majorem, Sacræ Theologiæ Baccalau-  
reum & Cursus Theologici Sacramentalis Pro-  
fessorem Radyminscianum, Ecclesiarū, Collegi-  
atæ S. Floriani Florentiæ ad Cracoviam Ca-  
nonicū, Parochialis Paiecznensis Curatū,  
Contubernij Gelanij Provisorem,

Publicæ disputationi,

## PROPOSITA.

In Lectorio DD. Theologorum,

Anno Domini 1698. Die 12. Martij, horis antemeridianis.

---

C R A C O V I A E. e.e.

Typis Francisci Cezary, S. R. M. ac Illustr: & Reverend: Dñi Episc:  
Crac: Ducis Severiæ; necnon Scholarū Novoduosc: Typogr.

# Q U A E S T I O T H E O L O G I C A.

V. Voluntas Dei summè libera: divisa in Antecedentem & Cōsequentem: Objectum tam Motivum, quam Terminativum, solam suam Bonitatem habens: extendat se, cum efficacia sua ad omnia, etiam possibilia, necne?

## C O N C L V S I O I.

Voluntas Dei est summè libera.

### C O R O L L A R I A.

- I. Deus voluntate sua summè libera, amat & vult Bonitatem suam ipsius, necessario, tam quoad Specificationem, quam quoad exercitium Actus.
- II. Dei voluntas, quidquid extra se vult & amat, liberè. & sine ulla necessitate vult & amat.
- III. Libertas voluntatis Dei, consistit, non in Indifferentia Iudicij, sed in Indifferentia ipsius voluntatis.
- IV. Libertas Divinæ voluntatis, non consistit in productione Dei intrinseca ac defectibili.
- V. Actus Dei liber, non constituitur per respectum Rationis ad creature.

## C O N C L V S I O II.

Voluntas Dei, rectè dividitur in Antecedentem,  
& Consequentem.

### C O R O L L A R I A.

- I. Aliæ Divisiones Voluntatis Dei, coincidunt cum hac, ut idem sit Antecedens, Conditionata, & Inefficax: & etiam Consequens idem, quod Absoluta & Efficax.
- II. Divina Voluntas Beneplaciti, est Actus internus Divinæ voluntatis in Deo existens. Voluntas Signi, est actus externus, significatus interni Actus in Deo.
- III. Voluntas Signi, non semper significat voluntatē Beneplaciti in Deo.
- IV. De pluralitate Volūtatum Dei, loquens sacra Scriptura. P̄al: 102. Notas fecit filijs Israël voluntates suas. & Psal: 110. Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus. intelligenda est de Vnius & simplicissimi Actus, multiplici virtute, secundum modum

modum nostrum concipiendi, & secundum diversos respectus ad  
creaturas, & diversa circa illas Decreta Divina.

- V. A Calvino facta Divisio Voluntatis Divinæ, in Revelatam &  
Arcanam est læretica.

### C O N C L V S I O III.

Objectum Divinæ Voluntatis, tam Motivum,  
quam Terminativū, est sola ejus Bonitas Increata.

#### C O R O L L A R I A.

- I. Obiectum Divinæ Voluntatis, non est Bonum in Communi, ut abstrahit ab Increato, & Creato.
- II. Obiectum Divinæ Voluntatis Materiale, & Secundarium & Terminativum tantum, est Bonitas Creaturarum.
- III. Deus vult & amat omnes creature, in ordine ad se, & propter semetipsum.
- IV. Deus vult malum pœnae, non præcisè, ut malum est, sed quatenus bonum aliquod adjunctum habet. Item Deus vult omnes pœnaltates hujus vitæ & mortem ipsam, ratione peccati originalis.
- V. Deus nullo modo vult malum culpæ, neq; per se, neq; per Accidēs.

### C O N C L V S I O IV.

Voluntas Dei, extendit se, cum sua Efficacia,  
etiam ad omnia possibilia.

#### C O R O L L A R I A.

- I. Divinæ Voluntatis Efficacia, extendit se ad Angelos, adhuc in via, in statu merendi existentes.
- II. Efficacia, & Causalitas Divinorum Decretorum, necessaria erat, adhuc in statu Innocentia, prout nunc, in statu Naturæ lapsæ.
- III. S. Augustinus Lib: de Correp: & Gratia, II. & 12. docens; Adamo, in statu Innocentia, concessum fuisse Adjutorium sine quo, non acutem Adjutorium quo: per hoc non negat, datum illi fuisse Auxilium, de se efficax.
- IV. Possibilia, Primo considerantur, quatenus habent connexionem cum Deo, & ejus Omnipotētia & Scientia. Secundo considerantur, sine prædicta Connexione. Iuxta Primum, amantur necessariò, cum Omnipotētia: juxta Secundum amore libero.
- V. Non posse mori, rem factam infectam reddere, non posse peccare, aut malum, quæ malum, velle, non est defectus Omnipotētia, sed potius maxima perfectio, & Veritatis Dei.

Cui Scienti & Volenti,

Sit laus honor virtus & gloria, ab omni creatura, per infinita  
sæcula, Amen.

Indica

Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi  
pascas, ubi cubes in meridie. *Cant: L. v. 6.*

*Circuire possum Domine, cælum, & terram, & mare, & aridum, &  
nusquam te inveniam nisi tantum in Cruce. ibi dormis ibi pascisibi cubas,  
in meridie. Drogho Hostien. Serm: de Sacram: Dominicæ Crucis.*

*Meridies significat plenitudinem cognitionis & lucem sapientie,  
contemplationemq; Divinitatis. Et dicitur sponsus cubare in meridie,  
hoc est: in habentibus ingentem sapientia lucem, & insignem charitatem.  
ardorem. Ambros: de Isaac & Ioseph. 10. Augustinus.*

*De Unitate Eccles.*

*Deum, si verè philosophemur, aptè omnes noscemos, quatenus fe-  
licis, hominis natura pertingere potest. Plato Ep: 6.*



**O Bonitas! & Abyssus! Amor! Divina voluntas!**

**O! scrutari Te! mortis abyssus erit!**

**Vita manes illi, ratio quæ, non peracutus!**

**Obiicit ausus! ast pensat AMORIS OPVS.**

**QVd, peccata, Cruces Christi, VENIaq; Coronas,  
Sceptrigeras, Christus efficit illa, sibi.**

S. V. B. FELICISSIMIS AVSPICCIIS,  
*Magnifici, Perillustris, & Admodum Reverendi Domini,*

**D. M. CHRISTOPHORI FRANCISCI  
SOWINSKI,**

*Sac: Th: Doct: & Professoris, Ecclesiarū Colle-  
giatarum, SS. Omnitum Crac: Præpositi, S. Floriani Florentiæ  
ad Crac: Decani, Pileensis Custodis, Contubernij Philo-  
sophorum Provisoris, S. R. M. Secretarij, Almæ Uni-  
versitatis Studij Generalis Crac: & Vigilantissimi*

**RECTORIS.**

*7. xxii. 30.*

Cl  
lle-  
ntia  
lo-  
i.  
30.

fe-

as,  
cis,  
re,  
tie,  
atus,

